



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput VII. Num dentur peccata natura sua venialia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

dum est accidens quidem esse, & qualitatem substantiæ adventitiæ, sed non *entitatem* illam parvam, quam vulgus Philosophorum invexit, sed malam perverſamque animi affectionem ortam ex recti ordinis deficientia, cujusmodi est aeris tenebricoſi obſcuratio per lucis privationem inducta; ut late adverſus Manichæos in primo libro diſſerui.

13. Quid ſit peccati macula.

Tandem videndum eſt quid ſit peccati macula, permanensque in anima reatus, nam actu malo, & ab æquitate devio tranſeunte, inſidet adhuc, donec expietur, labes, & culpa. Certum porro eſt maculam illam eſſe actum ipſum peccati, cum is, ut dicebam modo, prætereat, macula autem remaneat; neque eſſe *habitus*, ſive inhærentem ad malum vehementem inclinationem, quoniam hæc repetitis actibus inducitur, culpæ autem macula uno tantum. Videtur etiam non eſſe privationem gratiæ tantummodo, cum hæc peccati ſit pœna, atque eadem in peccatoribus omnibus mortaliter delinquentibus. Dum vero reatum dicimus, explicatur culpa tantum per comparationem ad pœnam, & ad juſtitiam punientem; ideoque reatus nomine non ſatis culpæ inquinamentum exprimitur. Eſſe peccati labem privationem decoris, nitoreſque animæ, dictum paulo ſupra, & aſſeritur à D. Thoma 1. 2. q. 86. art. 1. ſed nondum videtur rem aſſequi ingenii noſtri tarditas & infirmitas.

14. Labem peccati eſſe privationem decoris animæ comparatione deſcenditur.

Brevi conabor tenebras diſcutere manifeſta comparatione. Rectum teneo bacillum, ſed flexile, cujus pulchritudo eſt rectiſſimum eſſe. Illud inſeſto, ut à recto declinet; atque flexione iſta quamdam contrahit deformitatem ipſi inhærentem, etiam dum flexentem manum retraxero. Poſſum illud facile ad priorem rectitudinem flexione oppoſita revocare. Si tamen ſemel, atque ite-

rum detorqueam, efficitur in bacillo pronitas quædam ad curvitatē, ut vi x in rectum dirigi valeat, & ſi dirigatur, jam ſumma facilitate denuo contorqueatur. In quo exemplo laborioſum non eſt deprehendere quale diſcrimen interſit inter flexionem manuum mearum, virgæ curvitatē, & facilem ad obliquum regressionem: flexio enim illa præteriens actus eſt; curvitas perſiſtens in bacillo deformitas: illa denique facilitas vitium actibus repetitis productum.

Humana itaque voluntas poteſt ad bonum, atque ad malum à libero arbitrio inclinari. Ejus honeſtas, & decor eſt rectam eſſe, ſcilicet à lege æterna nullatenus detorqueri. Dum pravo motu liberi arbitrii avertitur à ſummo bono, & ad fluxa bona convertitur, contorta redditur, & diſformis. Nequit ad formam, nitoremque priſtinum reduci, niſi ſancta dilectione recta iterum fiat, & averſa à bonis commutabilibus, converſa ad bonum incommutabile. Si tamen cupiditati obſequens frequenter à ſumma æquitate declinet fruendo utendis, & creatis bonis amore inhærendo, induit quamdam perverſitatis proclivitatem, ut facile in nequitiam recidat poſtquam pio animi conatu iterum recta evaſerat. Atque hæc Auguſtinianæ doctrinæ penitus coherere, arbitror ex dictis maniſeſtiſſimum. Motus ergo ille liberi arbitrii inclinans voluntatem ad malum, eſt actus peccati: deformitas permanens in voluntate, quoadusque iterum convertatur in ſummum bonum, eſt peccati macula, & labes: facilitas illa magna, & ad iniquitatem propenſio eſt peccati *habitus*, ſive peccandi conſuetudo. Ita ſit, ut prætereunte peccati actu perſiſtat macula, & perſeveret deleta macula *habitus*. Vide, quæ diſſeruimus libro xiii. de peccato originali.

C A P U T VII.

Num dentur peccata natura ſua venialia?

S U M M A R I U M.

1. An detur peccatum ſua natura veniale.
2. Unum peccatum eſt gravius altero contra Stoicos.
3. Sententia Calvini.
4. Peccatum duplici ſenſu veniale.

5. Propoſitio.
6. & 7. Probatur.
8. & 9. Reſponſio Hæreticorum cum ſolutione.
10. Probatur Propoſitio ultimò.
11. Uſque 18. Solutio Objectionum

I. An detur peccatum ſua natura veniale.

AVERSIONEM ab incommutabili bono ſpiritualis mors animæ, privatio ſanctificantis gratiæ, ſempiterni ſupplicii meritum, atque Dei con-

ſequitur inimicitia. Sicut enim gratia, vita, & Dei inhabitatio caſtum charitatis amorem, ita crimen, interitus, Dei-que odium comitatur deliberatum motum

tum voluptuoſa cupiditatis. Nam apud eum, qui Chriſtum diligit, ipſum cum Patre manere, in eo autem qui diligit mundum, & quæ in mundo ſunt, charitatem Patris non eſſe, diſerte in priori Epistoſa cap. 2. & 3. declarat Joannes. Oritur hinc quaſtio, num peccatum aliquod detur natura ſua veniale: quoniam ſi omne peccatum pervertit amoris ordinem, videtur expellere charitatem, & trahere ad mortem, ideoque crimen eſſe mortiferum. Eſt itaque hæc non levis quaſtio adverſus hæreticos dirimenda.

2. Unum peccatum eſt gravius altero contra Stoicos,

Illud autem principio ſtatuendum eſt dari aliquod inter peccata diſcrimen, & unum eſſe gravius altero. Paria utique peccata quæque fecerunt Stoici, ut ſcribit Cicero in Paradoxiſ, Stoiciſque ad hæſit Jovinianus; de quo S. P. Auguſtinus H. LXXXII. *Hic omnia peccata, ſicut Stoici Philoſophi, paria eſſe dicebat, nec poſſe peccare hominem lavacro regenerationis accepto.* Sed hæreticum hominem refutat D. Hieronymus lib. 11. hiſ verbis. *Audebunt dicere, ſic negaſſe Petrum & ceteros Apoſtoloſ, qui fugerunt, quomodo Caiphas, & Pharifeoſ, & clamantem populum, Crucifige talem? Et ut de Apoſtoliſ taceam; ejusdemne tibi ſceleris videbitur reus Annas, & Caiphas, & Judas proditor, cujuſ & Pilatus, qui nolens compulſuſ eſt contra Dominum ferre ſententiam? Quanto majoris meriti fuit Judas, tanto majoris criminis eſt: & quanto majoris criminis, tanto majoris & pena. Potentes enim potenter tormenta patientur.* Joviniani argumenta petuntur ex æqualitate, quam improbe ſtatuebat, retributioniſ, ac meritorum, & refutata à nobiſ ſunt capite duodecimo libri. 111.

3. Sententia Calvini.

Major Hæreticorum recentiorum numeruſ ex perversa ſententia, quod ſemel juſtificati ex gratia, & poſſeſſione Spirituſ ſancti nunquam poſſint excidere, & quamvis in mortalia peccata labantur, non tamen iram Dei ſibi arceſſere, in alteram impiſſimam opinionem deſciverunt, omnia peccata etiam juſtorum hominum eſſe natura ſua damnabilia, & lethalia, quamvis Divina miſericordia credentibuſ, ac prædeſtinatiſ non imputentur. Ita ſentiunt Calvinuſ lib. 2. Inſtit. cap. 8. & lib. 3. cap. 4. & cum cæteriſ Calviniſtiſ Vermiliuſ, Beza, Marloratuſ; à quibuſ non videtur diſſentire Lutheruſ ſerm. de Piſcatura Petri, & expreſſiuſ in articulo xxxi. Philippuſ tamen Melancthon, eſſi citetur pro hac ſententia à Coccio, & aliis, ſal-

tem ut procedit ex eo principio, quod renati dum ruunt in ſcelera non amittant gratiam, appellat errorem fanaticorum hominum, ut demonſtrat in diſcuſſione Rivetiani Apologetici pag. 732. H. Grotiuſ. Is vero cum hoc loco, tum in Comment. ad cap. 2. Jacobi, & in voto contra Examen Riveti prope finem, nec non in Annotatiſ ad Conſult. Caſſandri dari venialia peccata propugnat: nec diſſentit Lambertuſ Danaeuſ apud Fevardentiuſ lib. xii. cap. 12. Theomachia. Quare nec Novatores omneſ probant Hæreſiarcharum ſuorum errorem.

Hoc etiam prænotandum eſt peccatum duplici ſenſu veniale appellari: primo quidem quatenuſ per poenitentiam deletur, & veniam conſequitur; atque hoc ſenſu certum eſt omnia peccata prædeſtinatorum, ac reſiſcentiuſ eſſe venialia, non quod ipſiſ minime imputentur, ſed quia poenitentibuſ condonantur. Altero ſenſu veniale peccatum dicitur, quod in ſe inſpectum non promeretur Divinam omnem indignationem, neque ſempiterno ſupplicio punitur: & in hoc ſenſu præſent quaſtio agitur, quam nemine Catholicorum diſſentiente reſolvam.

4. Peccatum duplici ſenſu veniale.

PROPOSITIO. Admittenda ſunt peccata genere ſuo venialia.

5. Propoſitio.

Probatuſ 1. Scripturarum, ac Patrum ſimul auctoritate. Quidam enim ſunt quotidiani defectuſ, in quos Dei non diſſoluta amicitia, juſti frequentiuſſimè prolabantur. Hinc eſt, quod orant quotidie: *Dimitte nobiſ debita noſtra*: & omniuſ ore Jacobuſ Apoſtoluſ cap. 111. 2. ait, *In multis offendimus omneſ*: atque in priori Ep. cap. 1. 8. Joanneſ: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi noſ ſeducimus, & veritas in nobiſ non eſt.* At peccata quotidiana, ſinguliſque etiam juſtiſ communia, quibuſ Dei amicitia poenitiſ non diſrumpitur, levia & venialia ſunt. Dari igitur venialia peccata ex ſacriſ literiſ demonſtratur. Atque hæc prior argumentatio Patrum auctoritati etiam innixa eſt. Etenim de quotidiana juſtorum oratione ait Chryſoſtomuſ in Orat. de Divite & Lazaro: *Etiamſi juſtuſ quiſ ſit, etiamſi millieſ ſit juſtuſ, & ad ſummum pervenerit culmen, ut liberatuſ ſit à peccato; non tamen quit ab omni nævo eſſe puruſ; etiamſi millieſ juſtuſ ſit, homo eſt. Quiſ enim jaſtabit mundum omnino ſibi eſſe cor? Quiſ gloriabitur ab omni culpa ſe eſſe immunem? Ideo jubemur in precatione dicere, Dimitte nobiſ debita noſtra.* Auguſtinuſ pariter de

Probatuſ 1.

de

de Fide & operibus inquit: *Nisi essent quaedam, sine quibus hac vita non agitur, non quotidianam medelam proponeret in oratione, quam docuit, ut dicamus, Dimitte nobis debita nostra.* Similia habet Cyprianus de Oratione, & de Opere & Eleemosina, Ambrosius lib. 2. de Poenit. cap. 10. & PP. ceteri. Quare ex horum traditione Tridentina Synodus sess. VI. can. XI. definit, quod: *licet in hac mortali vita quantumvis sancti & iusti in levia saltem, & quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti.* Vide & librum Augustini de Natura & Gratia cap. 35. & 36. unde deprompta est tota Tridentini Concilii circa veniale peccatum doctrina. Atque hoc loco S. Pater etiam verba Joannis apposite proferens de iustis inquit: *Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* At de priori argumento satis.

6. Alterum promittitur ex Evangelio Matthaei, ubi cap. v. 22. legimus: *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennae ignis.* Capite autem VII. 3. proferuntur verba Christi, *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Ex quorum locorum primo liquet plura dari convitiiorum genera, & uni temporale supplicium respondere, alteri sempiternum. Quod vero temporali duntaxat multa punitur ex ipsius reatus natura, proculdubio est per se veniale. Recte Chrysostomus Homilia XVI. in Matth. *Eum, qui sine causa irascitur iudicio condemnat, & idcirco dicit, Qui irascitur fratri suo sine causa. Eum vero, qui dixerit, Raca, reum pronunciat esse concilio. Sed adhuc ista non magna sunt; hujus enim saeculi sunt poenae. Quocirca eum, qui fratri Fatue dixisset, gehennae ignibus deputat, modo certe primum gehennae nomen commemorans.* Quod si petas cur dicentes fratri suo *Raca* ad confessum iudicium puniendi deferrentur? Dico, quod, tametsi vox illa levem & contemnendum hominem significet, ut alibi demonstravi; sedentes tamen ad Synedrium, legisque observationem affectantes illam proferentes vocem iudicio damnabant; propterea quod iudicium

IX. 4. *Recebam* appellentur viri inopes & vagi, quorum opera Abimelech LXX. fratres trucidavit. At si dixeris: Cur gehennae deputatur qui fatuum dicit fratrem suum? Nonne crimen istud censendum est veniale, & pertenuae? Eritne ergo quaelibet culpa suppliciis aeternis punienda? Respondeo in Evangelio sermonem fieri de iis, qui iram non cohibentes convitiis fovent inimicitias, ideoque spectato animo, & circumstantiis rerum, quod leve videtur, crimen fieri mortiferum. *Noli igitur adspicere* (inquit ibidem Chrysostomus) *quod unum hic verbum sit: sed quantum periculi habeat expende.* An ignoras inimicitiarum tempore, incandescere iram, animoque prorsus ardente etiam minimum aliquid magnum videri? Tunc quippe & quod non valde injuriosum est, nimis tamen putatur onerosum. Nam hac ipsa parvula & homicidia saepe pepererunt, & urbes crebro integras subruerunt. Ex altero autem Matthaei loco satis constat dari peccata quae seculis comparantur, & alia quae trahi. Et eximius Ecclesiae Doctor Hieronymus hujus argumenti demonstrat firmitatem, scribens in Comment. ad locum eundem: *De his loquitur, qui cum ipsi mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt, culicem liquantes, & camelum glutientes.*

Tertium argumentum petitur ex verbis Apostoli in I. ad Corinth. cap. III. *Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fenum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit, &c.* Atqui aurum, argentum, & lapides pretiosos non solum Latini, verum etiam Graeci PP. bona opera interpretantur, praesertim Chrysostomus, & Theodoretus laudati ab Estio Comment. in hunc Pauli locum, & Augustinus De Fide & Operibus cap. XVII. in Enchiridio cap. LXVIII. & in PP. XXXVII. & LXXVIII. ut mittam vulgo citatum, sed apocryphum, aut saltem dubium Sermonem. CIV. alias XLI. de Tempore. Igitur fenum, lignum, & stipula mala quidem opera, sed levia, & venialia commonstrant.

Vulgatae huic apud Scholasticos argumentationi video posse versutos haereticos respondere cum Erasmo super Paulum, coactam esse Augustini, & Magni Gregorii expositionem; nam Graeci quemadmodum interpretantur aurum, argentum, & lapides pretiosos bona opera aeternis praemiis coronanda, ita lignum, stipulam, & fenum docent esse

7. Probatur 3.

8. Responsio haeretico-rum cum solutione.

effe mala opera puniendā ignibus ſem-
ternis. Corruit ergo petitum inde pro
veniali culpa argumentum. Accedit
quod Ambroſiaſter interpretatur, lignum,
ſcœnum, & ſtipulam doctrinās falſas,
& errores hæreticorum, non utique
inter peccata venialia connumerandos.
Atque hæc magis videntur compro-
bare iudicium Eraſmi, quam illud
confirmant ipſius Eraſmi animadverſio-
nes. Is enim, ut coactam priorem in-
terpretationem demonſtret, ait, quod
plumbum minus eſt grave, quam au-
rum, & tamen æque atque aurum pur-
gatur igni: Addit nemini perſuaſum,
culmum eſſe leviorē ſcœno; & inepte
in malorum ordine poni extremo loco
quod minime malum eſt, cum in bono-
rum ordine quod optimum eſt primum
obtimeat locum.

9.
Confirmatio
ſolutionis.

At quamquam verum eſt per aurum,
& argentum, pretioſosque lapides bona
opera designari, atque per lignum, ſcœ-
num, & ſtipulam opera mala, qua in
re Græci, Latinique Patres conſentiunt;
attamen non mala quælibet, ſed venia-
lia poſtremis verbis denotari longe me-
lius docuerunt Gregorius & Auguſtinus.
Quis enim peccata mortifera nunquam
per gehennam delenda minimis rebus,
ſcœno ſcilicet, ac ſtipulæ comparabit?
Deinde non ſuper fundamentum Chriſti,
ſed ſuper arenam ædificare fracto-
res legis & lethalium criminum reos,
conſtat ex cap. VII. 26. Matthæi. Præ-
terea docet Apoſtolus, eum, qui ſuper-
ædificat lignum, ſcœnum, & ſtipulam,
etiam ſi arſerit opus ejus, ſalvum futu-
rum eſſe, ſic tamen quaſi per ignem.
Quis autem detruiſis impiis in tartara,
gravia illarum facinora crediderit igni
purganda, ita ut ſalvi fiant? Nonne ſi
hæc opinemur inconſulto probare vide-
bimur damnata dogmata Origenis, ex
quo fortaiſis acceperunt quidam Græco-
rum falſam illam expoſitionem? Tan-
dem, Ignis, de quo eo loco eſt locutus
Apoſtolus, talis debet intelligi, ut ambo
per eum tranſeant, & qui ædificat ſuper
hoc fundamentum aurum, argentum, la-
pides pretioſos, & qui ædificat ligna,
ſcœnum, & ſtipulam: cum enim hoc di-
xiſſet, adiunxit: Uniuscuſque opus
quale ſit, ignis probabit: ait Auguſtinus
cap. 68. Ench. Atqui ſuperædificantes
aurum, argentum, ac pretioſos lapides
igni ſempiterno non ſunt deputandi.
Non ergo de tali igne, ſed de igne aut Pur-
gatorii, aut temporalis tribulationis, quo
leves culpæ expiantur, eſt locutus Apo-
ſtolus. Porro errores hæreticorum lau-
datis verbis expreſſi nequaquam fuerunt,

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

cum non ſint ædificia quædam ſupra fidei
fundamentum conſtructa, ſed fundamen-
tum ipſum evertant. Cavilli autem Era-
ſmi ſatis hiſce reſponſionibus explodun-
tur; ſunt namque & ipſi ſcœnum, &
ſtipula, leviffimi ſcilicet & inepti.

Predictis argumentis accedunt ea, quæ
ratiocinationes dicuntur. Eſt autem
primum, quod vera amicitia lædatur
quidem leviffimis offenſionibus, aut mi-
nime frangitur: & communia filiorum
vitia diſpiciunt parenti optimo, ſed fa-
cillime condonantur. Ergo juſtus Dei
amicus & filius ob parvas tranſgreſſio-
nes non ſubjicitur damnationi, neque
penitus ſtola ſanctitatis, & filiorum jure
expoliatur. Non enim ſtatuit nobiſcum
Deus legem amicitie duriffimam, ne-
que regeneravit nos, ut levi contingen-
te cauſa deſereret. Proximum eſt ar-
gumentum, quod percipi prorsus ne-
queat velle Deum tanto à ſe pretio re-
demptos ob verbum otioſum, officio-
ſum mendacium, vel aliud peccatum
ſimile perpetuis gehennæ flammis addi-
cere. Ultimum erit à comparatione
peccati cum infirmitatibus corporalibus.
Peccatum enim eſt quædam infirmitas,
de qua Regius Pſaltes aiebat: *Sana ani-
mam meam, quia peccavi tibi.* Utergo
in morbis carnis ſunt leves alii, alii ve-
hementiores, alii accipites: ita putan-
dum eſt dari pertenuēs, & dari gravio-
res ægri tudines animorum. Sacris ergo
litteris, teſtimoniis Patrum, & ratioci-
natione concluditur, *ſingula peccata
non lethali vulnere ferire*, ut ſcribit Au-
guſtinus Serm. cccli. ſive l. ex libro l.
Homil. necnon juſtos plura peccata in-
firmitatis committere, *ſine crimine va-
ſtante conſcientiam*, ut inquit idem S.
Doctor lib. xi. De Civit. Dei, capite
duodecimo. Atque ex his conſtat jure,
ac merito fuiſſe damnatum xx. articu-
lum Baji: *Nullum eſt peccatum natura
ſua veniale, ſed omne peccatum meretur
pœnam æternam.*

10.
Probatur ul-
timo.

AD ARGUMENTA HÆRETICORUM RESPONSIO.

Urgent adverſus Catholicam verita-
tem heterodoxa quædam loca Scripturæ: Obijciunt I.
ac primum verba Chriſti apud Matth. v.
19. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis
minimis, & docuerit ſic homines, mi-
nimus vocabitur in regno cælorum.* Eſſe,
& vocari minimum in Regno cælorum,
nihil eſt aliud, quam, ubi Regni cœle-
ſtis conſummatio advenerit poſt corpo-
rum reſurrectionem, nullum exiſtimari,
atque cum maledictis in gehennam de-
trudi, ut explicat Scriptor Reſponſio-
num

II.
Objiciunt I.

T

num

num ad Orthodoxos inter Opera Justini, & Hom. 16. in Matth. Joannes Chrysostomus. Igitur, qui minimum quoque mandatum solvit, reus erit gehennæ ignis. Præterea in eodem Evangelio Matthæi cap. xii. 36. legitur: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* At verbum otiosum peccatum minimum est. Ergo de omni peccato, quantumvis minimo, tenemur rationem reddere. Tertio: Joannis xii. 8. Christus ait Petro: *Si non laveris te, non habebis partem mecum;* lotio autem pedum juxta Augustinum significat emundationem à venialibus, præsertim cum Petrus ibidem v. 10. dicatur lotus, ac mundus. Insuper in Epistola Jacobi c. 2. v. 10. habetur: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Universæ itaque legis censendus est reus, quisquis unum, vel minimum peccatum patrauerit. Denique de peccato indefinite pronuntiat in Scripturæ locis permultis, quod mortem inferat animæ. Si ergo peccata, quæ levia appellamus, revera peccata sunt, lethalia erunt quoque & mortifera.

12.
Solutio 1.

Respondetur ad 1. distinguo priorem propositionem, & Evangelii verba simul explico: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis*, id est, quæ minima putantur à Phariseis, graviora sunt tamen in se, aut obrerum circumstantias, cujusmodi est incandescens ira jacere in fratrem convicia, concedo. Quæ minima sunt reapse, nego. Perstringit Christus cap. v. Matth. hypocrisim, & fallacem Phariseorum justitiam; jactabant enim servari legem non occidendo, non mœchando, non jurando per terribile Dei nomen; fas tamen esse irasci, conviciari, concupiscere, & jurare per cœlum, per Jerusalem, per caput suum. Id sola lectione citati quinti capitis manifestum fit. Hæc autem, quæ Pharisei minima arbitrabantur, quis ignorat revera esse gravia, & mortifera? Hanc esse interpretationem Chrysostomi verba ipsius paulo supra recitata commonstrant. Negat quippe S. Doctor indignationem & probra, unde oriri queant homicidia, esse inter leves culpas connumeranda. Vide & S. P. Augustini librum 1. de Serm. Domini in Monte cap. 17. Addamus confessionem Glasii scribentis lib. v. Tract. 2. cap. 3. *Prior vox, Minimis, sententiam Phariseorum exprimit, qui quædam præcepta Dei vocabant Minima: & in Logica sacra cap. 2. de Ομοιοπρω,*

Vocula, Minimus, alludit ad opinionem Rabbiorum, quædam præcepta dicentium esse minima. Responderi etiam potest eo loci minimum appellari illum, qui fecerit, & docuerit, docere autem aliquid adversus Divinam legem, ac Dei verbum corrumpere, aut Scripturarum sanctarum oracula alicujus falsitatis arguere, crimen est gravissimum; quoniam debent in Lege, ut scribit citato Serm. Augustinus, *ad effectum etiam minima quæque perduc.*

13.
Solutio 2.
Quod objiciunt ex cap. xii. Matth. nil prorsus concludit; nam utique de culpis minimis ratio reddenda est, debitumque usque ad ultimum quadrantem est persolvendum: sed aliud est ad calculum vocari, aliud pro minimo debito extremo plecti supplicio. Refutantur præterea hæretici suorum Commentatorum observationibus. Clarius enim profert in hunc locum verba D. Basilii, *Verbum otiosum est, quod etiam si bonum sit, ad ædificationem tamen fidei non aptatur. Et ejusmodi verba in celeberrimo illo totius orbis terræ conventu examinabuntur. Quid scurrilibus & detraherentibus & obscenis verbis fiet?* Evangelica itaque verba sunt quædam à minori ad majus argumentatio, qua suademur gravius supplicium deberi verbis maledicis, blasphemisque Phariseorum adversus filium hominis, cum examen quoque de otiosis verbis sit subeundum. Zegerus otiosum verbum interpretatur quod proferentem coinquinat mendacio, & dicitur ad calumniam; alioqui non coherent, inquit, cum præcedentibus proxima verba, *Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* At Salomon Glasius De Pronomine Can. cap. xxv. contendit hic relativum postponi, & significari tantum, quod impii in die iudicii nec habebunt in reddenda ratione, quo verbum otiosum excusent. Verum hos flexiloquos & dolosos parvifacimus.

14.
Solutio 3.
Majori brevitate reliqua expedio, enimvero peccata venialia excludunt à regno, ubi nihil inquinatum est, vel immundum, sed non exilio sempiterno, ac perpetuo. Augustinus Tractatu lvi. in Joannem pedum lotione indigentium nomine intelligit *humano affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur.* Et postquam inde ostendit etiam justos istam terram calcantes habere opus ut pedes lavent, de Ecclesia non habente rugam, neque maculam ita concludit: *In his autem, qui hic demorantur, etiam si munda sit, quoniam juste vivunt, opus tamen habent pedes lavare, quoniam sine peccato utique non sunt.*

Dan.

Dantur peccata levia abſtergenda, & purganda, quibus inquinati cenſentur mundi, id eſt, juſti ſunt; ac de unoquoque illorum proximo verſu 10. dicitur: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus.* De laudato Jacobi loco vide Auguſtinianam Epiſtolam xxix. nunc clxvii. in qua S. Pater demonſtrat, quod cum plenitudo legis ſit dilectio, qua Deus, proximusque diligitur, atque in præceptis charitatis tota lex pendeat *Merito ſit reus omnium; qui contra illam facit, in qua pendet omnia.* Quod ex præcedenti capite manifeſta illatione conſequitur. At quemadmodum rectus amor nunc vehemens eſt, nunc tepeſcens, nec ſemper charitas quæque juſtificat: ita perverſus amor quosdam, quaſi ardoris, gradus habet, nec ſemper ſanctificantem gratiam abſumit. Ideo poſt pauca ait S. Pater: *Omnes enim offendimus, ſed unus gravius, alius levius. Quanto quisque gravius, leviusque peccaverit, tanto erit in peccato committendo major, quanto in diligendo Deo, & proximo minor.* Grotius, quem propter heterodoxos proſero, explicat locum Jacobi, *Quicumque offendat in uno, nempe eorum, quibus pena capitalis conſtituta eſt, non minus morte punitur, quam ſi omnia præcepta violaveſſet; ac ſi ſcriptum eſſet ως παντων ενοχος, quaſi omnium reus.* Neque nos uni tantum lethali peccato ſempiternam deberi punitionem negamus. In poſtremo non immeror: ubicunque enim Scriptura affirmat peccatum in damnationem nos trahere, dicimus ſermonem fieri de mortali peccato, quod peccatum appellatur antonomatiſte; eo pacto, quo ubi charitati tribuitur vita, & Dei inhabitatio, certum eſt designari charitatem *habitualement*, aut ſaltem vehementem. Ita dicimus mori hominem febre, veneno, vulnere; quamquam mortem non inferat quæcunque febris, quodcunque vulnus. Sed poſſumus etiam reſpondere, veniale peccatum animæ vitam adimere diſpoſitive: nam, ut eſt in Proverbio: *Qui minora ſpernit, paulatim decedit.*

15.
Objicitur 2.

Objiciunt præterea quædam Patrum teſtimonia affirmantium divinæ tribuendum miſericordiæ, ſi nos crimina illa minuta non obruant; in Evangelio nequaquam reperiri iſtud inter venialia, & mortifera peccata diſcrimen, ſed omnia nobis fugienda proponi; levi quoque flagitio Divinæ majeſtati irrogari injuriam. ac propterea non eſſe minimi faciendum. Inſignis eſt Declamatio Magni Baſilii adverſus contemnentes *R. P. Berti Theol. Tom. IV.*

peccata minima in Regulis brevioribus.

Reſpondemus conſulto PP. commo-
nere, ne peccata quælibet, etiam minima, foveamus, atque parvi momenti illa eſſe arbitremur. Etenim hæc ipſa deſpicientia, & neglectus majorem arguit erga illicita propenſionem, & culpam quodammodo adauget: nam quæ magis diligimus minus infectamur, quæ autem odio habemus vituperamus, & redarguimus. Ipſa inſuper negligentia, & contemptio ad irreparabilem lapſum ſæpe trahit infirmam, atque in ſcelera facile prolabentem hominum voluntatem. Præter levia hæc, & quotidiana peccata ſunt fere innumera; & licet ſe ipsis non perdant, trahantque ad ſempiterna ſupplicia; tamen ut aqua paulatim ſubrepens navem implet ac mergit, peccata illa parva crebro commiſſa gravant, atque opprimunt peccatorem. Legatur Auguſtini ad Seluc. Epiſtola cvii. nunc cclxv. Sancta quippe dilectio nos retrahit à noxiis cupiditatibus; & leves culpæ, quæ ſunt iſtarum cupiditatum fomenta, faciunt ut ſervens charitatis amor tepeſcat. ac tandem robuſtior facta cupiditas ſanctam illam dilectionem extinguit; preſumque hominem, & compluribus ſtimulis concitatum cor derelinquat, ut ait S. David Pf. xxxix. 13. *Multiplicata ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.* Atque hinc eſt, quod tribuere debemus Divinæ miſericordiæ, ſi ob venialia peccata non perimus, in quantum in graviora prolabimur, niſi gratiarum ſupernarum Auctor ſanctam nobis delectationem inſpiret, & aſcendentem terram noſtram copioſo benedictionis rore perfundat. His Baſilii, aliorumque Patrum ſententiæ faciles ſunt intellectu: nam quod aliqui aiunt laudatum Regularum librum non eſſe Baſilii, inane videtur refugium. Redoleat Baſilii ſtylum, Aſceticam præceptionem, atque pietatem: eique tribuitur à Photio Cod. cxc. At licet adſcribas Euſtachio Sebaſteno, aut cuiſvis ſcriptori, eadem adverſus levia peccata Patres alii ſcripſere: ideoque reſponſa noſtra teneo.

Argumentantur poſtremo loco à ratione. Principio, inquiunt, primum, ac maximum præceptum eſt Deum ex toto corde diligere. Qui minimum peccatum patrat, transgreditur primum præceptum. Ergo peccat contra præceptum ſummum, ac maximum. Præterea nonne quisquis peccat avertitur à Deo, & convertitur ad creaturas? Igitur

T 2

16.
Solutio.

17.
Objicitur 3.

tur

tur quisquis peccat, fruatur utendis, ultimumque finem constituit in re creata; quod profecto est nefarium crimen contrahere. Insuper quaecunque peccatum est offensa facta Deo summe bono: itaque quaecunque peccatum summum malum est. Deinde nefas est propter quodcunque bonum comparandum, aut propter evitandum quodcunque malum minimam culpam committere. Culpa ergo minima superat omnem malum. Tandem quidquid boni facit iustus promeretur aeternam vitam: ergo quaecunque noxam admittit impius, subicitur aeternae morti, perpetuoque supplicio.

18.
Solutio.

Resp. ad 1. dist. minorem. Minimis peccatis transgredimur primum maximumque praeceptum transgressione minima & levi; co. gravi & mortifera; nego. Quemadmodum enim non semper summum bonum diligimus charitate adeo flagranti, ut nostrorum peccatorum labe abstergetur; ita non semper fluxa bona amamus tam vehementi cupiditate, ut iustitiam penitus amittamus. Vide & quae de Amicitia Dei supra diximus. Ad 2. dist. conseq. Qui venialiter peccat constituit finem amoris in re creata, & huic adhæret parva cupiditate, per quam ab amore boni increati nequaquam divellitur, conc. Adhæret rei creatæ cupiditate perversa, ac defixa, per quam increatum bonum despiciat, eique subtrahat amorem vehementiorem, nego. Atque hic nota distingui peccatum mortale à veniali; quod per illud consensu, & delectatione adeo haurimus rei creatæ, ut hanc summo bono præponamus: per istud vero languida quadam dilectione flectimur in bona creata, ut voluntatis deliberatione his minime fervidus amor hærescat. Quapropter in re etiam parva admittimus mortiferum scelus, si sprete Divina lege frena cupiditatis laxentur. Perdifficile est tamen distinguere inter peccatum mortale, & veniale, ut Augustinus scribit lib. XXI. de

C. D. cap. 27. quamquam mortalia censenda sunt, quæ aut materiam habent in se, vel spectatis circumstantiis ponderosam, magnique momenti; aut si levis materia, fervescit noxia cupiditas. Solvitur ex his argumentum tertium, quoniam veniale peccatum est offensa quidem illata Deo, sed levissima in re; neque lege charitatis penitus violata. Diluitur proxima obiectio distinguendo duplex malum, morale unum quod opponitur Divinae legi, physicum alterum, quod legi ipsi non adversatur. Profecto minimum malum morale majus est quocunque malo physico, ideoque nefas est vel leviter mentiri, abiret licet universum in nihilum. Hinc tamen non inferitur, quod veniale peccatum puniri debeat privatione ejusque boni, ac sempiterno gehennæ supplicio; cum in punitione attendi debeat ratio demeriti, & lex iustitiæ, æquitasque vindictæ. Quod aliqui demonstrant comparatione animalis, v. g. ovis, vel agni; cujus pretium existimatur unius aurei, quamquam res animata sit physice omni auro præstantior. Ita minor culpa censetur digna minori supplicio, quamquam aliquo in genere levis culpa excedat malum ejusque poenæ. Enimvero nequit eodem pretio venundari agnus, & equus, eademque animadversione puniri convicium, atque homicidium, cum idem non sit valor omnium rerum, neque idem singulorum delictorum demeritum. Ad ultimum neganda est consequentia; nam minimum opus bonum à iusto patratum promeretur vitam aeternam non per se, sed propter charitatem *habitualement*, ex qua elicitur: quo pacto etiam minimum peccatum ex vehementi cupiditate commissum poenam meretur sempiternam. Differt præterea in hoc meritum à demerito, quod illud pendet à Dei voluntate, istud vero ex ipsa operis conditione. At Deus cum sit misericors coronat in miserationibus, & ultra condignum, cum sit iustissimus punit servata æquitate, & juxta demeritum.

